Quelle: https://manuscripta.at/?ID=45
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



quando ethera firmabat sursum. et librabat
fontes aquarum. quando circumdabat mari
terminum suum. et legem ponebat aquis ne tran-
sirent fines suos. Quando appendebat funda-
menta terre cum eo eram cuncta componens.
et delectabar per singulos dies ludens coram eo
omni tempore. ludens in orbe terrarum. et delicie
mee esse cum filiis hominum. Nunc ergo filii
audite me. Beati qui custodiunt uias meas.
Audite disciplinam et [illegible] estote sapientes. et no-
lite abicere eam. Beatus homo qui audit me.
et qui uigilat ad fores meas cottidie. et ob-
seruat ad postes ostii mei. Qui me inuenerit.
inueniet uitam et hauriet salutem a domino.

Domini vobiscum

LIBER. Initium sancti euangelii secundum matheum.
Generationis ihesu xpi filii dauid. filii a-
braham. Abraham genuit ysaac. ysaac genu-
it iacob. Iacob autem genuit iuda et fratres eius.
Iudas autem genuit phares et zara de thamar.
Phares autem genuit efrom. efrom autem genuit
aram. Aram autem genuit aminadab. Ami-